



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Dvrando De Osca Et Durando de Naiaco.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ad suæ negationem defensionem tantummodo allegantes, quòd non recordantur se procurationem huiusmodi ejus prædecessoribus exolvissè, sed nec ab eis aliquando fuisse petitam. Cùm igitur contra procurationem quæ ratione visitationis debetur præscribi non valeat, quemadmodum nec contra visitationem ipsam potest aliquò modo præscribi, etsi alius contra eum præscribere posset utramque, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus rectores Ecclesiarum ipsarum ut eidem Archiepiscopo ipsas ex officio debito visitanti procuraciones quæ sibi visitationis ratione debentur exhibeant, nisi aliud rationabile objectum fuerit & ostensum, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani v. Kalen. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

BITVRICENSI ARCHIEPISCOPO.

AD nostram noveris audientiam pervenisse quòd patroni parochialium Ecclesiarum tuæ diocesis tantum de preventibus sibi retinent earundem quòd sacerdotes ministrantes in eis non possunt de residuo sustentari. Propter quod nonnullæ remanent pastoribus destitutæ, eò quod non sunt qui curam velint recipere earundem. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus patronos Ecclesiarum ipsarum, ut de illarum preventibus sacerdotibus in eisdem ministrantibus congruam provisionem assignent, moneas & inducas, ipsos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellens, cùm non ad opus patronorum, sed ad opus potius servientium in eisdem, fuerint Ecclesiis redditus deputati. Datum Laterani x. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

ABBATI DE MACENEIRA
Visensis diocesis, Cantori & P. Roderici
Canonico Colimbriensibus.

Diligenter auditis & perspicaciter intellectis quæ coram nobis propofita sunt à partibus super intrusione Prioris sancti Petri Auriensis diocesis in monasterio Cellæ novæ ac excommunicatione in ipsum à venerabili fratre nostro Episcopo Auriensi prolata, & delegatorum processu, qui eundem electum removerunt à monasterio Cellæ novæ, ac præscriptam excommunicationis sententiam confirmaverunt,
Tom. II.

penfatis nihilominus natura & qualitate negotij, quibus potius duximus inhærendum, ipsorum delegatorum sententiam ratam habentes, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus eam auctoritate nostra faciatis inviolabiliter observari; contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcopo, cùm eorum altero &c. Datum Laterani v. Kalen. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

MASSILIENSI EPISCOPO.

Cum dilectus filius Durandus de Olca Acolythus & socij sui à secta Waldensium per nos reconciliati sint ecclesiasticæ unitati, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus ipsos infra catholicum gregem admittens, & benignè pertractans, ob notam quam de pristina conversatione contraxerant non permittas eos à quoquam temerè molestari, sed ab omni eos infamia & scandalo servans immunes, tam ex litteris testimonialibus quam aliis adminiculis ipsos misericorditer adjuves propter Deum. Datum Laterani III. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

In eundem modum scriptum est Barchinonensi Episcopo. Cùm dilectus filius Durandus de Olca &c. usque propter Deum.

In eundem modum scriptum est Oscensi Episcopo. Cùm dilectus filius &c. usque propter Deum.

DVRANDO DE OSCA ET
Durando de Naiaco.

Cum quidam de fratribus vestris reconciliati ecclesiasticæ unitati, sicut nostris est auribus intimatum, interdum delinquant & vacent operibus inhonestis; discretiori vestræ, de qua firmam fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus quatinus cùm ipsos contingit excedere, id loci Episcopo nuntietis, & de consensu & auctoritate ipsius delinquentium excessus salubriter appellatione postposita corrigatis. Quòd si non ambo &c. alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Laterani I. v. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimo quinto.

ILLVSTRI REGI
Aragonensi.

VT illi complaceas in cuius miseratione regni gubernacula suscepisti, te convenit confovere humiles & devotos, &
L L I I

*Vide cap. Cùm
et off. De
participat.*

*Epist. 88.
De congrua
portione Pref.
Ippocri par-
ochialium.*

*Epist. 89.
De remotione
Abbatia.*

*Epist. 89.
De procuracione
ne quædam
pro visitatione
ne.*

*Epist. 50.
De negotio
Durandi de
Olca & socio-
rum.
Vide supra epist.
82. & lib. 12.
epist. 196.*

*Epist. 91.
Super eodem.*

*Epist. 92.
De eodem.*